



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentaria Ac Disputationes In Primam Partem Divi Thomæ

Suárez, Francisco

Moguntiae, 1620 [erschienen] 1621

Cap. 8. De tribus veritatibus personalibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84432)

*Sint ne in tribus personis tres veritates trans-
cendentales.*

Hec quaestio tam de vero in concreto, ac substanti-
tate sumpto, quam de veritate in abstracto tra-
ctari potest, tamen quia supposita regula superius
tradita, facile est, ex abstractis colligere modum lo-
quendi in concreto, ideo conuenienter in abstracto
proponitur. Richard. ergo in 1. dist. 24. art. 1. q. 3. ad 1.
negat veritatem transcendentalem posse in Deo mul-
tiplicari, quia veritas rei, inquit, nihil aliud est, quam
essentia conformis, vel conformabilis proprio con-
ceptui talis rei, in diuinis autem personis tantum est
vna essentia, ergo tantum est vna veritas. Possumus
hanc sententiam confirmare, quia omnis veritas aut
est prima, aut inferior illa, sed in Deo non possunt ad-
mitteri tres primae veritates, quia esset admittere tres
Deos, nec etiam tres inferiores veritates, quia neces-
sario futurae essent imperfectae, ergo est tantum vna
prima veritas.

Nihilominus existimo, etiam hoc transcendens
recte expositum multiplicari in diuinis personis.
Est autem aduertendum, veritatem triplicem esse,
in intelligendo, in dicendo, & in essendo, & omni-
bus his modis veritatem esse in Deo, & Deum esse
primam veritatem. In intelligendo quidem, quia
per se ipsum ita omnia intelligit, vt nihil, nisi vere
possit intelligere, vnde haec veritas in Deo nihil al-
iud est, quam infallibilis conformitas intelligentiae
diuinae cum omni re intelligibili. Quapropter haec
veritas tantum potest esse vna, quia est essentialis, &
omnino absoluta, & quia intelligere Dei tantum est
vnum. Veritas in dicendo est virtus quaedam mo-
ralis, seu attributum quoddam diuinae voluntatis
ratione cuius infallibiliter semper dicit verum, &
mentiri non potest, & haec etiam veritas nullo modo
multiplicatur in Trinitate sicut nec voluntas, cuius
est absoluta perfectio, seu attributum. Veritas in ef-
fendo in vnaquaque re est entitas ipsa rei, vt confor-
mis, vel conformabilis vero conceptui eius, vt sup-
pono ex Metaphysica disput. 3.

Dico ergo, hanc veritatem in essendo multiplicari
in diuinis personis secundum entitates personales,
seu relatiuas earum, licet quoad essentiam Dei vna
sit. Hanc posteriorem partem suppono. Priorem
probo in primis ex illo 1. Ioan. 5. *Vt sumus in vero Filio e-
ius, hic est verus Deus*, ergo personae Filij dupliciter
conuenit veritas in essendo, scilicet in ratione Filij,
& in ratione Dei. Et priorem veritatem habet ex
sua proprietate relatiua, & incommunicabili. Po-
steriorem vero ex diuinitate communicabili, ergo
prima veritas est propria Filij, posterior communis
omnibus personis, non communitate rationis, sed
reali, quod per se manifestum est, quia Pater est ve-
rus Deus, & Spiritus sanctus similiter. Rursus idem
discursus fieri potest in Patre, quia & est verus Pater,
& verus Deus, & in Spiritu sancto, quia, & est vere
procedens, & verus Deus, ergo in tribus personis sunt
tres veritates personales, & incommunicabiles, ac
communis, sola, & vna essentialis, quae personalibus
ratione distinguitur, cum personales inter se realiter
distinguantur.

Ratione etiam declaratur, respondendo simul ad
fundamentum Richardi. Nam veritas transcen-
dentalis non conuertitur cum essentia, sed cum en-
titate, quatenus omnis entitas relatiuam, secundum
quam potest habere conformitatem cum aliquo pro-
prio conceptu. Vnde in Christo Domino est veritas
essentialis hominis, quia in eo est vera natura hu-
mana, non tamen est veritas personae creatae huma-
nae, quae in quolibet puro homine reperitur. At in

Deo, cum vna essentia, est triplex entitas personalis,
quae potest habere conformitatem cum proprio con-
ceptu suo, ergo est triplex veritas transcendentalis
relatiua.

Est autem circa modum loquendi aduertendum,
veritatem, Deo simpliciter & sine addito attributa,
accipi solere pro veritate naturae diuinae, quae essen-
tialis est. Quomodo Damasus Papa, & Sophronius, ponunt
quos Paulo inferius referemus, sicut aiunt, esse in Damas-
tribus personis vnam aeternitatem & vnam bonita-
tem, ita etiam dicunt esse vnam veritatem, quod et-
iam, intelligi potest de veritate morali, & intelle-
ctuali. Maxime autem haec absoluta locutio habet
hunc sensum, quando additur *Prima veritas*, quia haec
additio indicat supremam rationem veritatis, quae
solum est essentialis, & ideo tres veritates dicenda
semper sunt cum declaratione, seu cum illo addito,
relatiua.

Et ita soluitur confirmatio à nobis addita, nam
illae tres veritates in re quidem sunt vna, Prima, quia
sunt vna Deitas, si tamen ex propriis conceptibus
praecise considerentur, sunt tres veritates, inter se
quidem realiter, ab essentiali autem ratione distin-
ctae. Vnde si vnaquaeque consideretur secundum id
praecise, quod addit supra essentiam, non habet in-
de, quod sit prima veritas, sed ex essentia, quam inclu-
dit. Et ideo non sequitur, quod sit imperfecta, cum
in re includat totam perfectionem essentiae, sed so-
lum sequitur, non habere ex illo praeciso conceptu
totum id, quod dicit prima veritas, quod verum est.
Denique aduerte oportet, aliquando totam Trini-
tatem dici veram Trinitatem. Sed per hanc locu-
tionem non significatur aliqua veritas postitiua, pre-
ter eas, quas explicauimus, sed affirmatur, & declara-
tur vera distinctio realis personarum inter se, quae
solum addit illam negationem, quod vna persona
non sit alia. Sicut etiam dicitur vna Trinitas, per
quod solum additur negatio, scilicet, quod praeter
hanc Trinitatem non sit alia, vel quod in Deo non sit
plus, quam Trinitas, nec maior personarum nume-
rus, quam ternarius.

CAPVT IX.

*Sint ne in Trinitate tres bonitates, ac subinde tres
perfectiones personales.*

Suppono, non esse sermonem de bonitate morali,
seu virtutis, constat enim hanc esse tantum vnā,
& essentialē, sicut paulo antea dixi de veritate mor-
ali. Est ergo difficultas de bonitate transcendentali,
quae etiam dici potest perfectio entitativa. De quo
est prima opinio fati communis, in diuinis personis
non dari perfectiones personales, quae & inter se rea-
liter, & ab essentiali perfectione ratione distinguan-
tur. Ita tenet Scot. 1. dist. 3. q. 1. ad 4. Durand. dist. 1. q. 3. nu. 13. Richard. dist. 2. art. 1. quest. 3. ad 1. Capreol. 1. dist. 7. quest. 1. ad 3. contra primam conclusionem arti-
culi secundi, Caiet. 1. p. qu. 28. art. 2. & ibi frequentius
Thomistae. Fundamentum à priori huius sententiae
est, quia proprietas personalis in Deo secundum
propriam rationem nullam dicit perfectionem. Hu-
ius autem ratio est, quia illa proprietas est relatio, vt
infra ostendemus. At relatio vt relatio in tota sua
communitate sumpta non dicit perfectionem, cum
quia relatio vt sic, non dicit in, sed ad, & ideo secundū
se non addit perfectionem, vnde in creaturis adeo,
& abest sine subiecti mutatione: tum etiam, quia
vt ad commune est relationibus rationis, in quibus
nulla perfectio cogitari potest, ergo personalis pro-
prietas, quatenus relatio est, nullam affert Deo per-
fectionem.

Aliud vero fundamentum ab inconuenienti est,
quia alias vna persona haberet perfectionem alie-
quam, quam non habet alia, & in tribus, vel duobus
plures